Nr. praes. 73.

X.

NOS


JOSEPHUS ALOJSIUS

Liber Baro Pukalski

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

Suæ Sanctitatis Prælatus domesticus, Solio Pontificio Assistens, Comes Romanus, Eques c. r. Ordinis Coronæ ferreæ II. Classis, Commendator Ordinis c. r. Austr. Francisci Josephi, Membrum Comitiorum Regni Galiciæ, Præses Commissionis pauperum Tarnoviæ &c. &c.



Salutem et apostolicam benedictionem!

Recordamini Litterarum Nostrarum de 30. Octobris 1870. quibus cum universo orbe catholico unisonam vocem doloris et justae indignationis extollimus, adversus impios ausus sacrilegasque belli rapinas Patrimonio Sancti Petri illatas, contraque immanes excessus in

ipsa urbe Roma patratos, quibus non solum sacerdotes catholici sine discrimine dignitatis dire vexabantur, verum et ipse Summus Pastor Ecclesiae catholicae Pius IX. libertate spoliatus, omnibus captivitatis aerumnis molestiisque premitur et affligitur. Et quomodo non recordaremini quum a funesto die 20. Semptembris anni elapsi usque nunc animus effrenatorum illorum Ecclesiae ac Sanctae Sedis hostium non tantum non mitior factus, verum in dies vehementius succensus, nova semper excogitat persecutionis tormenta, novaque machinatur molimina, quibus *Vicarium Christi* arctius torquere, vires *Ejus* fatigare, ac plenum exitium *Eidem* parare minime perhorrescit nimirum, ut percusso Pastore, jugique gubernationis ac vigilantiae disciplina succisa, eo facilius oves Christi dispergere, eisque postmodum perversitatis et violentiae suae frenum injicere valeret.

Quomodo omnes non recordaremur harum calamitatum, quum omnes cum Supremo Ecclesiae Capite Pontifice Romano unum corpus Christi mysticum constituamus, quomodo itaque tribulationibus, quibus ipsum Caput feritur, singula membra quoque non feriantur? Quomodo filii non patiantur, quum Pater eorum affligitur? Eventus hi eo funestiores tristioresque evadunt quum a filiis Italiae et a talibus etiam proveniant, qui quum Religioni catholicae perfidi sint, tamen eandem palam simulare, et quum Sedis Sancti Petri excidium moliantur, se tamen filios Ecclesiae addictos et devotos ejusdem Sanctae Sedis cultores palam nuncupare audent. Ita „*mentitur iniquitas sibi* Ps. 26. 12. Merito igitur Ecclesia et S. Pater plorare possunt cum Davide. „Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem utique, et si is qui aderat me magna locutus fuisset abscondissem me forsitan „ab eo. Tu vero homo unanimis. .... qui simul dulces mecum capiebas cibos &c. Ps. LIV. „v. 13. — 15. —

Sed quid diutius his immoremur quum laetiorem Vobis nuntium praesentibus affere „intendamus. „Benedictus Deus“ ut cum Apostolo gentium laetabundi exclamemus „et Pa„ter Domini Nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et *Deus totius consolationis qui „consolatur nos in omni tribulatione nostra*“ II. Cor. 3. et 4. „O altitudo divitiarum sa„pientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae

„ejus“! Rom. XI. 33. Eo momento quando bella fremunt hostilia, et quando omnes, Ecclesiae, Sanctae Sedis, et Summi Pontificis Pii IX. attritionem plangimus; iterum novo huc usque inaudito consolationis fonte perfundimur. Idem enim Deus Omnipotens et Pater consolationis qui Ecclesiam et Vicarium Christi visibilem tribulari permisit, iterum novam et inauditam eidem Ecclesiae suoque Vicario laetitiae et consolationis scaturiginem aperit. Die enim 16. Junii anni currentis Deo benignissimo permittente celebraturi sumus 25. anniversarium electionis Sanctissimi Domini et Summi Pontificis nostri Pii IX, adeoque hac die adimplebitur in Pontificatu Pii IX. tempus annorum 25. Pontificatus S. Petri, primi Pontificis Romani, et Capitis supremi Ecclesiae Christianae, quem Christus Dominus ipse in dignitate hac suprema collocaverat.

Per tot saeculorum decursum, ac varias inter vicissitudines, gloriae et adversitatum, prosperitatis et pacis ac turbinum et procellarum in sinu Ecclesiae et Sedis Apostolicae, nulli successorum Sancti Petri haec gratia a Deo contigit ut in Pontificatu annos Sancti Petri conspiceret, ita ut fere in axioma historicum deveniret: *nullum Pontificum Romanorum annos Petri visurum;* tandem XIX. saeculo declinante, quum Ecclesia Romana juxta catalogum romanum 257. Antistites jam numeret Pius IX. hanc a Deo gratiam primus obtinuit, ut in gubernatione Ecclesiae tempore Dominationis suae Sanctum Petrum exaequaret.

Durante hoc tempore gubernationis Pius IX. inter acria etiam certamina magna opera magnas inter adversitates superavit, quorum praecipua tantum breviter hic attingimus.

Jam in primis Dominationis Ejus exordiis impii perturbatores, quorum in Italia magnus numerus, religionis et ordinis publici hostes, quum astutia et dolus eis non sufficeret, seditionem contra Pontificem moverunt, et omnia susque deque verterunt; jamque Urbe potiti vitae Pontificis insidias struxerunt, quae tamen pericula Pius IX. Dei auxilio fretus feliciter evitavit in regnum vicinum exulando — diramque hanc sortem patienter et in oratione pro inimicis toleravit. Postea in Urbem Franco-Gallorum armis recuperatam reversus, omnes labores gubernandae Ecclesiae consecravit. Eo regnante ducenti fere Episcopatus variis in oris orbis terrarum recenter sunt erecti et 30 ultra vicariatus Apostolici instituti,

quibus regnum Christi mirum in modum inter barbaras etiam gentes propagatur. Pius IX. Cultum B. V. Mariae cujus ipse egregius est Cultor promovit et dogma de immaculata ejus conceptione promulgavit; multorum porro Sanctorum Confessorum et martyrum canonisationem peregit, inter quos Magnus ille Episcopus et Martyr S. Josaphat qui pro fide catholica et Unione cum Sede Romana crudeliter est enecatus. Actu hoc Summus Pontifex novum patronum et protectorem Lithuaniae et Russiae incolis addidit, qui ob perseverantiam in fide continuis vexationibus et persecutionibus sunt obnoxii. Pius IX. miseram sortem Catholicorum in illis et Poloniae oris adinstar tenerrimi et miserentis patris deplorans frequenter vocem contra immanes afflictorum suorum filiorum cruciatus extollit. Pius IX. crudeliter grassantes et Religioni ac paci publicae perniciosos errores intrepidus syllabo solenniter proscripsit. Pius IX. ut Episcoporum et cum his fidelium populorum cum Sede Romana unionem et nexum roboraret, aliquoties oblata sibi varia opportuna occasione magnum Episcoporum coetum Romae convocavit. Ita anno 1867. undevigesimum jubilaeum saeculare Martyrii S. Petri celebravit, magno Episcoporum e variis et dissitis oris concursu, et iterum anno 1869. celebravit Jubilaeum in sacerdotio. Tandem ad finem vergentis anni 1869. coronam labori suo imponens Concilium universale Vaticanum indixit et convocavit, in quo in sequentem annum protracto saluberrima Fidei Catholicae Doctrina de Fide, de Ecclesia, et infallibilitate Summi Pontificis **in rebus fidei et morum** sancita est, jamque in celeberrimo hoc et numerosissimo, qualis adhuc nunquam in Ecclesia comparuit, Episcoporum coetu Universali, aliis Ecclesiam catholicam et populos christianos prementibus indigentiis prospicere voluit, verum Deo aliter disponente opus hoc amplius consummare non potuit. Exorto namque atrocissimo inter Regna Galliae et Prussiae bello Gallorum exercitus, qui jam ab initio ut supra observavimus Summum Pontificem ex exilio Sedi Suae restituerant, et dein usque ad recentia tempora Patrimonium S. Petri et Urbem Romanam adversus iniquissimas conspirationes et incursiones malevolorum Italiae tuebantur, in suam Patriam revocati sunt, quam occasionem arripiendo Regimen Italiae contra omne jus et fas sacrilegum contra dominationem Pontificis temporalem ensem strinxit, exercituque

armato, reliquias Ditionum S. Petri invasit ipsamque Urbem expugnavit. Talibus in rerum adjunctis, concilium continuari amplius haud potuit, et ad indeterminatum tempus prorogatum est.

Sed Divina Providentia, quae luctuosis hisce temporibus Naviculam S. Petri tempestatibus jactari permisit, Eidem iterum ut jam observatum est alia nova et inexpectata parit gaudia, novosque praeparat triumphos, ipsi autem Summo Pontifici et universo fidelium coetui nova et ineffabilia praestat aliunde solatia.

„*Mirabilis est Deus in Sanctis suis*“ Ps. LXVII. v. 36. Eo momento quando vesana inimicorum turba extrema cum regno Dei committit proelia, quando in ipsam Petram Christi irruit, ejusque Antistiti sacrilegum truculentumque infert bellum, quando adversus sacerdotium cuncta vibrat acerrima et venerosa tela, ecce inter haec furentium agmina stat medius Pius IX. senio quidem confectus, armis quidem terrestribus spoliatus, verum fortis spiritu, et invictus fide ac spe in Deum, caritate autem ad Christum elevatus et iterum caritate ad instar gallinae pullos suos congregantis, universum christianorum fidelium coetum amplectens pro quo acria haec cum inimicis sustinet certamina — stat inter frementia bella firmus et inconcussus, Dei Providentia fretus et Dei Providentia electus, ut omnes post Petrum Pontifices longitudine certaminum superaret.

„*Audiant haec mansueti et laetentur*“ Ps. XXXIII. 33. „*Laetamini igitur in Domino et exultate justi et gloriamini omnes recti corde*“ Ps. XXXI. 11. „*Magnificate Dominum mecum et exaltemus nomen ejus in idipsum*“ Ps. XXXIII. 4. Gratias agamus Domino Deo nostro qui tantam Pontifici nostro Pio tribuere dignatus est gratiam et nos et universum fidelium coetum tantis replevit gaudiis.

Sed necesse est, ut diem hunc Jubilaei Dominationis Summi Pontificis Pii IX. 16. Junii singulari solennitate celebremus. Ordinamus itaque praesentibus, ut ad solennitatem hanc augendam, et faciliorem pro populo reddendam, eadem ad proximam Dominicam sequentem id est: III. post Pentecostes 18. Junii transferatur. Volumus ut solennitas haec in omnibus Ecclesiis tam saecularium quam regularium peragatur, respectivi vero curati

et Rectores Ecclesiarum omnia adhibeant, quae ad splendorem et festivitatem diei istius conferre poterunt. Hunc in finem jam die 11. Junii seu Dominica infra octavam SS. Corporis Domini solemnitas ista populo est indicenda.

Die autem ipsa 18. Junii cantetur Missa solemnis coram Sanctissimo et in fine *Te Deum laudamus* sequantur preces pro S. Patre et Ecclesia jam alioquin cum populo recitari solitae.

Currandum est ut cum solennitate hac, etiam interna mentis devotio jungatur, et nimirum tanta festivitas etiam aedificationi et virtuti christianae fidelium incrementum afferat adeoque valde exoptamus, ut hac occasione fideles, qui jam 25 annum aetatis vel sacerdotes in sacerdotio, conjuges in matrimonio transegerunt, S. Communionis susceptionem cum intentione pro incolumitate et vita longaeva Summi Pontificis ac pro incolumitate et dilatatione Ecclesiae conjungant. Denique populus ad dennarium S. Petri secundum modulum offerendum excitetur.

Orate etiam Vos Fratres dilectissimi et indesinenter orate et populum fidelem pariter ad orationem provocate pro salute et incolumitate Summi Pontificis qui hodie tantis aerumnis et angoribus pro fide et grege Christi premitur. Quum enim olim Hierosolimis „Herodes rex affligeret Christianos Jacobumque fratrem Joannis gladio occideret apposuit „ut apprehenderet et Petrum . . . Quem cum apprehendisset misit in carcerem, tradens „quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. „*Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* . . . . Et ecce Angelus Domini astitit, et lumen affulsit in habitaculo: percussoque latere Petri excitavit eum, dicens: Surge velociter. „Et ceciderunt catenae de manibus ejus“ &c. (act. XII. — 17). Ad preces Ecclesiae S. Petrus per miraculum e carcere et vinculis liberatus est, qui e carcere egressus et extra civitatem angelo comite „progrediens ad se reversus dixit: Nunc scio quia misit Dominus angelum et eripuit me „de manu Herodis et de omni expectatione plebis Judaeorum (v. 11. ibid). Quid autem aliud hisce temporibus deploramus quam carcerem Summi Pontificis qui jam nonum in

mensem captivus in propria urbe et in propriis aedibus detinetur? Petrus nunc in persona Pii IX. captivitatis et carceris suffert aerumnas. Quum autem nulla ex parte spes auxilii terrestris Eidem affulgeat, neque sperandum, ut aliquis defensor Ecclesiae vim vi repelleret, Pontificemque e manibus inimicorum eriperet, quum ipsi simus inermes, de coelo nonnisi auxilium imploremus, ferventesque preces ad Deum fundamus, ut Ecclesiae et Sedis Apostolicae afflictioni finem imponere, libertatem restituere et Pio IX. saltem eatenus adhuc vitae terrestris donum elargiri dignaretur, ut Ecclesiae, Sui et Sanctae Sedis libertatem recuperatam cum gaudio universae Ecclesiae propriis oculis intueri valeret.

Benedictio Dei Patris omnipotentis sit cum omnibus Vobis.

Dabamus in Palatio Nostro die 8. Maji 1871. in festo S. Stanislai P. R. P.



Josephus Alojsius,

EPISCOPUS TARNOVIENSIS.

TARNOVIAE.

TYPIS ANASTASII RUSINOWSKI,

Typographi ad honores Episcopalis et Consistorii.

Impensis Illustrissimi ac Reverendissimi Consistorii.